



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

44. An torquentes Clericum per laicum incidant in censuram, etiam si de
licentia Episcopi hoc faciant? Et an consuetudo in contrarium excuset à
culpa? Et an saltem in tali casu Superiores torquentes, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ob Clerici percussione. Resol. XLIV. 151

mus. Ita Ciarlinius, cui adde Lezanam in Summa, tom. 4. verb. Clericus, num. 6. & Castrum Palaum tom. 6. disp. 3. punct. 2. §. 1. n. 5. & Squillantem de priv. Cleric. c. 6. num. 1. 6.

2. Opinioni affirmativæ alij adherent, & mihi placeat, putant enim, dictam conditionem esse additam à Tridentino ratione privilegij fori, de quo ibi est sermo; & proinde, quod illius dispositio minimè extendenda sit ad hoc privilegium Canonis. Et ita tenet Avil. de cens. part. 2. c. 5. dub. 11. concl. 2. Megala in 3. part. Instit. Confess. lib. 4. q. 5. n. 37. & probabilem existimat Leone tract. de cens. collect. §. num. 4. Si tamen dictus Clericus conjugatus non deferat Habitum, & Tonsuram, non gaudebit privilegio Canonis, quia sic determinatur in dicto cap. unico, de Cleric. conjugat. in 6. quod non procedit in Clericis minoribus, ut diximus supra.

3. Sed, an uxor Clerici conjugati gaudeat privilegio mariti incidentis in Habitum, & Tonsuram: Glossa in c. Cler. 1. §. 1. ait, uxores Clericorum fori forum ex personis virorum, gaudentque iisdem privilegiis uxores, & filios quibus Clerici gaudent, ut in l. 1. §. 2. Cod. de Episcopis, & Clericis. Idem vult Gloss. in cap. Eos, 3. distinct. quam sequitur Panormit. in cap. Nullus de foro compet. 2. col. n. 6. & 7. Contrarium volunt Ioannes Andreas in d. cap. unico, de Clerico conjugat. in 6. & Ioannes de Imola in d. cap. Nullus. Mihi tamen magis placet, uxorem Clerici conjugati, quoad forum, gaudere privilegio clericali, debereque conveniri coram Ecclesiastico Iudice: non tamen gaudere privilegio Canonis. Si quis suadente, atque ita iniiciens manus violentas in uxorem Clerici conjugati, non est excommunicatus. Ita Dominicus de S. Geminio d. c. 1. de Clerico conjugato, in 6. & Francisco de Aretio in cons. 13. col. 2. & 3. Et ita hanc etiam sententiam docet Squillante de privileg. Cleric. c. 6. n. 21. qui ex Carolo de Grassis effert. §. n. 1. & hoc limitat, nisi manus in iectio fieret uxori prædictæ in odium viri: quia tunc iniiciens incurreret excommunicationem, ac si ipsum percuteret, ut per Doctores, quos refert. Idemque dicendum esset, si percussio fieret in personam aliqujus consanguinei Clerici in odium ipsius Clerici, ut per Decianum in tract. crimin. part. 3. lib. 6. c. 17. n. 15. Bellettum part. 1. disp. 1. Cleric. fol. 183. n. 21. Ragucium de excomm. q. 70. & alios.

4. An verò ad evadendam dictam excommunicationem sufficiat, si tempore, quo percutitur talis Clericus conjugatus, non deferat Tonsuram, vel non habeat vestes clericales? ex iis, quæ docent Doctores in terminis privilegij fori, possumus id faciliter decidere, quod scilicet, non excuset, ubi talis antea solebat illas gestare, nec putet ipse percussus, illas dimississe dictum Clericum conjugatum animo ipsas non amplius resumendi. Ita Leone ubi supra. Nota etiam, quod Clericus conjugatus non bigamus, si dimittat Habitum & Tonsuram, & postea illum reassumat, gaudet privilegio Canonis: quoniam nulli auferenda est poenitentia iusta. Sylvester verb. Excommunicatio, c. 6. n. 4. & S. Antoninus 3. part. tit. 25. cap. 1. Sayrus lib. 3. c. 26. n. 4. & Bonacina de censur. q. 4. punct. 1. n. 2. Ex his sequitur, quod Clerici bigami bigamia vera, & interpretativa, in minoribus Ordinibus constituti, omni privilegio denudantur, ideoque gestatio Tonsuræ, & Habitum clericalis illis interdicitur cap. unico, de bigamia, in 6. & notavit ibi Gloss. verb. Bigamus. Coninch n. 157. Molina tract. 3. disp. 5. n. 8. Layman c. 5. n. 4. Bonacina dist. punct. 3. n. 6. & tom. 3. de censur. in part. disp. 2. q. 3. punct. 6. sect. 1. n. 3. & seq. Secus verò dicendum est de bigamia similitudinaria, ut iidem doctores advertunt. Quod si Clerici bigami sacris sunt initiati, vel ex dispensatione, vel illegitimitate, hoc privilegio Canonis gaudent: quia textus in cap.

unico, de Clericis, conjug. in 6. & cap. unico, de bigamia, in 6. expresse loquuntur de bigamis in minoribus constitutis. Et tradit Gloss. dict. cap. unico, de bigamis. Sylvester verb. Bigamus, q. 8. Molina disp. 5. n. 8. Layman ubi supra, quibus adde Fragozum de Repub. l. brist. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 2 §. 5. qui etiam hoc docet de religiosis bigamis: nam non privantur privilegio Canonis: quare illos percutientes erunt excommunicati, quod etiam docet Palaus tom. 6. disp. 3. punct. 2. §. 1. n. 13. Sayrus de censur. lib. 3. c. 27. n. 32. Lezana tom. 3. verb. Clericus, n. 6. qui idem dicendum notat de Religioso, qui Habitum dimisit: nam per solam dimissionem Habitum, non perditur privilegium Canonis.

Sup. hoc magis late sup. in Ref. 39.

RESOL. XLIV.

An torquentes Clericum per laicum incident in censuram, etiam si de licentia Episcopi hoc faciant? Et an consuetudo in contrarium excuset a culpa? Et an saltem in tali casu Superiores torquentes, & corrigentes Clericum per alium laicum peccarent? Ex p. 9. tr. 4 Ref. 30.

§. 1. Non posse Clericum torqueri per laicum, docet Glossa in c. finali, disp. 3. §. 1. & ibi. Præpositus dicit, esse notandum propter Officiales, qui quandoque torquent Clericos per laicos, & malè faciunt, quia excommunicationem incurrunt, ut voluit glossa in Summa disp. 45. Et quod Clericus non possit torqueri per laicum, etiam de licentia proprii Episcopi, firmant Ioan. de Anania in c. Super eos, col. 2. in fine, de crim. falsi. Archidiaconus & Geminianus in Summa, distinct. 45. Anton. de Butrio, & Ancharanus in cap. Vt fama, de sent. excomm. & refert ibi Abbas in fine, & sequitur Dec. in cap. Dilectis, in princip. de appellat. Idem Ancharanus in cap. Vniuersitatis, de sentent. excommunicat. Maranta de ordine iudic. part. 4. distinct. 11. n. 74 late probat Stephan. Aufer. in tract. de potestate secul. super Eccl. regul. 3. fallent. 12. versic. Et propterea. Dicit Glossa ibi, quod laici torquentes Clericos de licentia Episcopi, sunt excommunicati: & consuetudo in contrarium non excusat a culpa, quæ est irrationabilis. Summa Sylvestrina in verb. Excommunicatio, in 6. §. 11. Diaz in sua practica, c. 126. versic. Nota tamen, & ibi Ignat. Lopez in additione, quæ incipit: Torqueri per laicum, qui alios allegat. Greg. Lopez in lege 56. Gloss. 3. tit. 5. part. 1. & ex Neotericis tenet etiam hanc sententiam Marra de iurisdict. part. 4. cent. 2. casu 131. n. 6. & sequenti, qui asserit n. 12. posse laicos vocari ad ligandum Clericos, sed postea Clerici torquebunt.

2. Sed ratione consuetudinis contrarium dicendum puto, ut supra probavi de magistris, & aliis, qui titulo correctionis Clericum per alios percutiunt: neque dicta consuetudo dicenda est, ut volunt adversarij, irrationabilis ut rectè observat Avila de censur. part. 2. c. 5. disp. 3. dub. 12. quia non contra jus naturale, aut divinum: imò decens est, & honestum, ne Clerici, vel Monachi intantur officio tam vili. Vide Suarez de censur. disp. 23. sect. 7. n. 44. Coninch de Sacramentis disput. 14. dub. 15. n. 91. Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 5. n. 9. & alios penes ipsos. Et ego, ut verum, fatear non intelligo speculationem Martæ, nempe Clericos posse ligari à laicis: sed esse torquendos à Clericis: nam, sicuti torquere Clericos per laicos est actio iniuriosa, sic etiam ligare: non est igitur in hoc Martha audiendus.

3. Sed hic inquirendum, an in tali casu Superiores torquentes, & corrigentes Clericum per laicos, peccarent: Et affirmativè respondet Villalobos in Summa tom. 1. tract. 17. difficult. 21. n. 8. ubi sic ait: [Dudalos Doctores, si el Prelado eclesiastico, que da tor-

Sup. in Resol. lutionibus, quæ hic sunt 11. & 13. & etiam 14.

mento, & agor, por la persona de un lego, al Clerigo, incurse esta descomunion. A lo qual respondo. Lo primero, que bien puede el Iuez Ecclesiastico prender a su subdito por un lego, como expressemente dize un texto; mas no puede agorale por tercera persona, sino es que sea Clerigo, o Frayle, y si el puede comodamente hazerlo por si mismo, no puede agorale por tercera persona, como consta de otro texto, y assi el lego que le atormenta, incurse la censura, sino es que no huviesse Clerigos idoneos para esso, como dizen Panormitano, Sylvestro, Navarro: y dize mas Panormitano, que el Iuez que siguiendo la costumbre, atormentasse, o agorasse a un Clerigo, por la persona de un lego, no incurriria la censura, aunque pecaria. Ita ille. Sed ego puto, ratione consuetudinis, Superiores Ecclesiasticos torquentes, & contingentes Clericos per laicum, neque in censuram incidere, neque in peccatum: & ita tenet, & probat P. Leone de censur. recoll. s. n. 265. & sequent. cum Portello in dubio Regular. verb. Correctio, num. 47.

RESOL. XLV.

An percuiens Religiosum invalidè professum incidat in censuram?

Et an hoc procedat etiam si propria culpa, & non tantum Religionis sit nulliter professus, imò & si contra iura receptus sit? Ex part. 9. tract. 4. Resol. 34.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Pater Bordonus in consil. regular. tom. 1. resol. 28. n. 24. [Quia, licet Professio faciat Religiosum, & non habitus; tamen in ordine ad gaudendum hoc privilegio sufficit solius habitus Religiosi assumptio, ut constat in Novitio, qui ex sola habitus assumptione dicitur participare hoc privilegium: ergo idem dicendum est de invalidè Professo: nam in hoc equiparatur Novitio: & id puto procedere, etiam si, ex propria culpa, & non tantum Religionis, sit nulliter Professus; imò et si contra iura receptus sit: quia sic receptus non attenditur ut persona talis, sed ut aliquale membrum Religionis, cui immediate hoc privilegium conceditur: dum enim habitum gestat, intelligitur subesse Religionis; tam quoad privilegium fori, quam Canonis; aliter Religionis decus, & exemptio periclitaretur, si quoad utrumque esset de foro laicorum: dimisso autem habitu rediens ad sæculum, sit de illius foro, & non amplius gaudet eo privilegio; cum non sit deinceps sub eo statu Religionis.] Ita ille. Sed hoc non caret difficultate: nam est dispar ratio inter Novitium, & inter nulliter professum. Ille enim gaudet privilegiis Professorum, quia est in via ad professionem: iste autem non est Professus, nec vult profiteri, cum possit, & sua culpa ita manet in Religione; ut suppono: ergo non debet gaudere privilegiis Religionis.

RESOL. XLVI.

An percuiens Religiosum nullo ordine insignitum, & expulsus à Religione incurrat in censuram?

Et quid, si portet habitum, & Tonsuram Clericalem?

Et docetur Clericum ex defectu habitus non amittere privilegium Canonis. Ex part. 9. tract. 4. Resol. 44.

§. 1. **Q**uerit hoc Portell in dub. Regul. verb. Manus violenta, n. 3. sic asserens: [Quid, si Religiosus expulsus ab Ordine est laicus, vel alius carens om-

nino Ordine sacro, an hunc percuiens incurrat? Invenit quoddam sic Rodriguez addit. ad Summam, tom. 1. c. 99. concl. 5. quia adhuc est vere Religiosus instantia, maxime si portet Habitum, & Tonsuram clericalem. Si verò hanc non portet, nihil res videtur dubia, & colligenda per alias percipientem verum Clericum non portantem prædicta. Ita ille. Sed si hæc questio resolvenda esset ex principio, quod ait Portell, ego consequenter loquendum dicerem, percipientes in tali casu laicum expulsus à Religione, & incedentes sine Habitu, incidere in censuram; sicuti incedentes percipientes Clericos sine Habitu, & Tonsura incedentes. Nam, licet privilegium Canonis inferius sit fori privilegio, quippe privilegium Canonis late tenetur positivo est introductum, privilegium verò fori ex Iure divino provenit: ergo Clerico, cui non competit privilegium fori, nec Canonis privilegium competere debet. Deinde Tridentinum, sess. 23. de reformatione, c. 6. sub privilegio fori, Canonis privilegium videtur comprehendisse: siquidem refert cap. unicum, de Clericis conjug. in 6. ubi Pius II. expresse de priv. Canonis loquitur: nihilominus contrarium dicendum est, ut supra docui: nec obstant adducta in contrarium: nam cito privilegium Canonis inferius sit priv. quod privilegio fori, est tamen magis necessarium personis Ecclesiasticis, & eorum statui, cum gravius offendatur ex vexatione personalis, quam ex forensi iudicio: præterquam quod privilegium fori cedit aliquoties in diminutionem laicæ potestatis: ac privilegium Canonis in nullius cedit præjudicium. Ergo mirum non est plures condiciones pro privilegio fori requiri, ut perdat, quam pro privilegio Canonis, Tridentinum verò, si bene pendatur, nobis contrarium non est: non enim dixit, servandam esse Constitutionem Bonifacii VIII. in c. Clerici de Clericis conjugatis, in 6. pro omnibus Clericis, sed pro Clericis conjugatis: illi enim nec privilegio fori, nec Canonis gaudent, nisi conditiones à Tridentino præscriptas obtulerint. Idem in casu proposito de laico expulso, tu cogita.

2. Nota tamen hic obiter Baunium in Theol. mor. act. mor. tom. 2. disp. 5. tract. 4. e. 2. optinè docere, probabile esse, Clericum ex defectu habitus, non amittere privilegium Canonis: sed male me citat pro contraria sententia.

RESOL. XLVII.

An Monialis, que sumit potionem, vel pugnis se cedit, pro abortum faciat, incurrat in censuram?

Et quid est dicendum de alio propinante potionem pro abortu faciendo Moniali, illa consentiente sequente efflu? Ex part. 9. tract. 4. Resol. 10.

§. 1. **R**espondeo negativè: quicquid asserat in contrarium noster Naldus in Summa verb. Clerici, cur. num. 4. Et ita hanc sententiam tenet ex Molina, Stephanus Baunius in Theolog. mor. tom. 2. disp. 5. tract. 4. quest. 2. quia hæc non est manuum in jectio nec in seipsam violenta, & contumeliosa; quod tamen Canon exigit. Violentam non esse, hac ratione probatur: Scienti, & volenti non fit propriè iniuria. Nec est etiam percussio sui injuriola statui Ecclesiastico: nam ad eum Monialis non pertinet: status enim Ecclesiasticus est eorum propriè, qui Tonsuram habent, & per eam aggregantur Ecclesiæ. Et hanc sententiam sustinet etiam Rodriguez in Summa, tom. 5. c. 144. num. 12. Garcias in Summa, tract. 3. diff. 3. dub. 1. punct. 2. num. 18. Iacobus Gordonus in Summa, tom. 2. lib. 7. quest. 13. §. 3. n. 33. ubi sic ait: [Inferitur Moniale, que sibi procurat abortum; quantumvis graviter peccet, non contrahit tamen hanc censuram.]